

omnino certa ex Ecclesiæ consensu . Consensus autem Ecclesiæ ex eo satis constabat , quod illa verba Salomonis vulgo tribueret Parenti Divinæ (a) , *tota pulchra es amica mea , & macula non est in te* . Quod cum probe intelligeret D. Thomas , non dubitavit erroris arguere Joannem Chrysostrum , qui quodam loco Evangelii explicando nescio quid criminis affinxit imprudens Deiparæ Virgini . Veri nominis originale peccatum ab infantibus contrahi , hoc est non solum imitatione , quod Pelagius dicebat , sed etiam vera propagatione ; perspicue colligi poterat ex Ecclesiæ exorcismis , quos in diabolum fieri mos antiquus ferebat , antequam pueri baptismum acciperent : ut proinde censerentur errare , qui secus tenerent . Nec tamen erat res definita ante hæresim Pelagianam . Quam certum fuit in Ecclesia Latina , Spiritum Sanctum a Patre , Filioque procedere , ex eo scilicet tempore , quo Ecclesia Romana cæterarum magistra ita canere coepit ? Ergo Latini etiam ante Concilium Florentinum , a quo tandem hoc dogma definitum est , errare Græcos putabant , quicumque negarent , Spiritum Sanctum a Patre , Filioque procedere . Nihil amplius dico in re manifesta . Jam enim omnes intelligunt , in publica religione , earum rerum , quas veneramus , magnum esse momentum & veritatis , & sanctitatis ; quique id negent ea freti ratione , quod secus tenere non sit hæreticum , eos quærare impunitatem erroris , neque confugere ad munimentum sententiæ , quod est nullum profecto , sed ad arcem temeritatis , atque perfidiæ .

X. Ut tandem vela contrahamus , si , quod colitur ab Ecclesia universa , ita sit verum oportet , ut idem falsum non possit esse : cumque Deiparæ immunitatem ab originis labe veneretur Ecclesia ; quid habet , quæso , cur isti novi libellatores petitioni intercedant , neque certum Mysterium declarari velint *certitudine aliqua infallibilis veritatis* ? Petimus enim , uti conclusio Theologica , quam omnes intelligunt , qui Ecclesiam verentur , suffragio Pontificis comprobetur

(a) *Cantic. cap. 4.*